

## Praefatio editoris.

Celeberrimae Novi Testamenti editionis manualis auctor D. Eberhard Nestle, cum non multum ante illud orbis terrarum bellum item coepisset curare Veteris Testimenti Graeci quod vocatur Septuaginta editionem manualem apud Societatem Biblicalam Stuttgartiensem, morte quominus opus perficeret prohibitus est. Qua de causa fasciculus tantum, liber Jeremiae graece et hebraice, postea ab Ioanne Dahse pastore et a D. Dr. Erwin Nestle, filio defuncti, exactus est et prelo traditus. Sed cum Societas Biblica Stuttgartiensis consilio editionis manualis versionis LXX instituendae non desisteret, ego ultimo belli anno (1917/18) officium eius editionis curandae suscepi, iam pridem studiis versionis LXX iniciatus et iam tum per decem paene annos praepositus operi a Societate Scientiarum Gottingensi versioni LXX consecrato, quippe qui iuberer maiorem editionem criticam versionis LXX elaborare; sed quoniam per bellum stabat, quominus copia iam collecta imaginum photographicarum, quibus codices depingebantur, ita ut opus erat completeretur, illa editio maior in praesens omittenda erat, et congregatio Societatis Scientiarum Gottingensis, quae LXX-Kommission appellatur, ipsa quoque probavit loco editionis maioris iam minorem editionem criticam edendam. Huius editionis, quoniam anni bellum sequentes abundabant impedimentis, anno 1922 demum iussu eiusdem congregationis libellus speciminis loco in lucem prodiit: „Das Buch Ruth griechisch, als Probe einer kritischen Handausgabe der Septuaginta herausgegeben von Alfred Rahlfs“. Deinde suscepi Genesin librum tractandum, qui prodiit 1926 inscriptus: „Septuaginta Societatis Scientiarum Gottingensis auctoritate edidit Alfred Rahlfs“, item ut liber Ruth ex aedibus societatis Biblicae Stuttgartiensis.

Sed cum ratio lectionum libri Genesis prorsus differret a lectionibus libri Ruth, etiam apparatus variarum lectionum amplificatus est ita, ut editio libri Genesis quasi media esset inter editionem maiorem antea propositam et editionem minorem. Quae editio cum